



## NECROLOGIA



**† R. P. Iosephus Daley (1893-1954)**

*(Prov. Baltim.)*

Magna commotione confratres Provinciae Baltimorensis affecti sunt subitanea morte duorum confratrum, qui paucis tantum interpositis diebus a Deo ex hac vita vocati sunt. Primus eorum fuit R. P. Iosephus Daley, pertinens ad domum Baltimoreensem ad SS.mi Cordis. Sabbato, die 16 Ian. dormiens e vita migravit, sexaginta annis completis.

Natus 24 Nov. 1893, filius erat paroeciae nostrae Bostoniensis Roxbury, Mass., in cuius schola praoeciali etiam primum discendi ludum egit. Postea duos annos alumnus scholae artibus mechanicis addiscendis in eadem urbe erat, antequam iuvenatum Congregationis North East, Pa., intraret.

Studiis humanioribus ibi absolutis, noviciatum in Ilchester, Md., absolvit et die 2 Aug. 1915 ad vota admissus, ab Em.mo Cardinali Hayes die 20 Iun. 1920 sacerdotio ornatus est. Studiorum cursu consummato, unum annum in iuvenatu North East Lectoris partes egit.

Secundo tirocinio absoluto et per biennium Neo-Eboraci atque in parva insula S. Crucis in Antillis opera paroeciali praestita, a. 1934 in Urbem missus est, ut in Athenaeo Pont. « Angelicum », philosophia altiore initiaretur eiusque lauream sibi acquireret. Post biennium reversus, domui studiorum Esopus ad-

scribitur docetque decem annos philosophiam atque sociologiam. A. 1936 Superior domus Smyrna Beach, Flor., atque a. 1939 Rector communitatis Orangeburg, S. C., factus, ex a. 1942 duo triennia domui Ephrata, Pa., praepositus est, inde ex a. 1947 ascriptus communitati Rochester, N. Y., et postea usque ad obitum in paroecia Baltimorensi SS. Cordis in cura animarum ordinaria occupabatur.

Sabbato, die 16 Ian., P. Daley, licet bene se habere videretur, ante examen particulare, ne prandio adesset, permissionem petivit. Cum etiam vespere in refectorio deesset, confrater quidam eius cubiculum introspexit, quidnam mali esset, et statim cognovit Patrem esse mortuum. Absolutione sacramentali et Extrema Unctione pro hodierno modo statim sub condicione datis, medicus telefonio vocatur, qui confratrem iam circa horam quintam vita exisse putabat.

Defunctus confrater Redemptorista verus et incorruptus fuit. Tranquillus ac modestus, nunquam sibi magnum nomen acquirere studuit, nec unquam seipsum sublime ferri volebat. Solummodo, quid Superiores vellent, cognoscere et opere completere satagebat. Anima candida, cum erat Superior, potius rogabat quam praecipiebat. Urbanitas atque benignitas cuique apparebant, qui vel obiter eum cognoverat. P. Iosephus Daley vitam composuisse dici potest secundum illud Magistri sui: *Discite a me. quia mitis sum et humilis corde* (Matth. XI, 29).

Cf. *C.S.S.R. Chronicle*, vol. 17 (1954), p. 43.

H. N.